

haberetis, usque ad C. ult. Sic eum volo manere &c. Autor, qui haec in Schola Vien. praelegit, si Titulo dorso Codicis adfixo fides, est *Petrus de Pirkenwart*, qui laborem antecedenti Codice coeptum hic profequitur. Codicem utrinque ambiunt Membranae 2. Sec. XIV. exhibentes Expositionem in *Job* a C. XXXVIII. v. 35. ad finem, cujus Autor e notioribus non est, ut jam Cod. antecedenti dixi.

## CXCII.

- U. 43 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 376. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus aliud est praecedentis Exemplar *απολογιστον*; habet enim ad calcem: *Et sic est finis lecture huius evangelij Anno domini 1471.* Ad sunt eodem modo Quaestiones discussae a fol. 255. ad finem.

## CXCIII.

- U. 18 Codex chartaceus lat. Sec. XIV. Folior. 138. f. per duas columnas scriptus, rubricis enotatus et, ut praefert Nota, legatus ad collegium beate marie virginis domus rubee rose apud fratres predicatorum in *Vienna* a *Thoma de Haslpach* sacre pagine prof. in *perchtoltzdorff* plebano et ad *S. Steph. Canonico* complectitur *Nicolai de Lira* O. M. Postillas primo in *Actus Apostolorum*, quarum initium: *Repleti sunt omnes spiritu sancto* &c. dein in *VII. Canonicas Epistolas*, quarum initium: *Quatuor sunt minima terre* &c. demum in

*Apocalypsin*, quarum initium: *Datus est mihi calamus similis virge* &c. At postremae hae ad *Lirano* non pertinent, ut e comparatione tam cum vetustis hujus Editionibus, quam cum Bibliis glossatis liquet. Non enim *Prologus* tantum, cujus initium dedi, sed ipsa etiam Expositio, quae inquit: *Ego Johannes &c. Totus iste liber divisus est in tres partes in probemium executionem epylogum* &c. a bit a *Lirano*. Ad quem porro referenda sit, in tanto eorum, qui *Apocalypsin* tentarunt, numero difficile est dispicere. A me saltem more meo haud indiligerter quaesitus est. *Haymone Halberstad.* et *Richardo a S. Victore* multum utitur, jamque de Scholasticis est. Codicem in *Germania* ab homine festivo scriptum probat calx *Aët. Apost. Amen Daz geschech*, et calx *Canonicar. Explicit per manus et non per pedes.*

## CXCIV.

- U. 153 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 287. f. manu difficili perscriptus continet: I. *Lecturam in Actus Apostolorum* cum Prologo: *Lucas anthiocensis natione syrus* &c. ut consuetum. Textus medium occupat, Expositio margines implet, et inter lineas incurrit. Incipit autem: *Hic incipit liber actuum apostolorum, in quo beatus lucas prima se continuat ad precedentia, secundo profequitur subsequentia* &c. Ad calcem in orafolio infima legitur: *Ga feria ante Katherinam 1446° hora fere 10.*

II.